



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. VII. De Eo Qvi Dvxit In Matrimonivm, Qvam Polluit Per Adulterium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

optimè confirmat text. in l. Quoties 15, C. De rei vindicatio.

Arque ex his facile aperitur sensus omnium capitulorum hujus Tit. quæ idecirco sigillatim non explicamus Nisi quod una restet difficultas in cap. Veniens 5, quo permittitur mulieri matrimonio, quæ aliqui simplici voto adstricta erat. At peccatis, qui matrimonium contrahit post votum licet simplex à se emissum, ut antè probavimus ex Psalmographo: *Vovete & reddite Domino Deo vestro.* Sed respondetur, id fieri ex dispensatione summi Pontificis per delegationem factâ. Idque iusta causa, eò quod mulier de qua in d. cap. Veniens, voto neglecto illicitos concubitus meditabatur.

7 Dispensare autem posse summum Pontificem in voto simplici à nemine in controversiam vocatur. Imò & in voto solemnè id posse facere summum Pontif. ex receptiore sententiâ probat Greg. de Valentia tomo 3, Comment. Theolog. disput. 6, quæst. 6, puncto 7. Ut tamen in solemnè voto di-

spensationis causa sit honor Dei, & major Ecclesiæ utilitas, & ita maius bonum ex dispensatione expectetur. Et certè si votantis animum rectè exploremus, non ejus fuit voluntatis, neque etiam ipsius Dei recipientis votum, ut per hujusmodi votum majus bonum impediretur. *facit text. in can. fin. xvii. q. 1.*

Nec rogetur textus in c. Cum ad Monasterium 6, in fine sup. De statu Monach. ubi planè negat summus Pont. cum Monacho dispensari posse circa votum castitatis: quia is textus exaudiendus est de Monacho, quatenus in monachatu perseverat, ut is scilicet uxorem ducere non possit: quia adversatur tribus votis substantialibus monasticæ Religionis, puta paupertatis, obedientiæ & castitatis: non autem negat summus Pont. Monachum auctoritate sua posse exmonachari, id est, à tribus illis votis absolvi. ex sententia veriore Vincentii & Joannis in Glof. in d. cap. Cum monasterium & latè persequitur Gregor. de Valent. jam citato loco.

IN TIT. VII. DE EO QUI DVXIT IN MATRIMONIUM, QVAM POL- LUIT PER ADULTERIUM.

S U M M A R I A.

1. Adulter, uxore suâ defunctâ, an adulteram ducere possit?
2. Et quid si uxor necdum à marito suo cognita fuerit?
3. Quid si à marito suo separata quoad torum?
4. Sponsa defuncta rectè cum altera contrahitur cognita antea.
5. Quid si, vivente prima uxore, quis dederit fidem alteri, quam non cognovit; deinde uxore mortuâ, duxerit aliam; & cognoverit inde eam, cui fidem dederat, an hanc ducere, mortua secunda uxore, poterit?
6. Vivente uxore cum altera contrahens eandem ducere, uxore defuncta non prohibetur.
7. Ut & quam vivente uxore sine fidei datione cognovit.
8. Adulter, qui in mortem mariti adultera conspiraverit, non potest eam uxorem ducere.
9. Conspiratio hac cum effectu accipienda.
10. Et facta causa matrimonii contrahendi.
11. Quid si adulterio admissa postea uxorem ex alia causa occiderit, an adulteram ducere possit?
12. David, occiso Uria, Berjabeam in uxorem duxit.

13. Liberi ex damnato concubitu nati alendi à patre, ex jure Canonum: & quid hodie in terris Imperii obtineat.

Hic Tit. latius patet, quàm habet ejus scriptio. Nec enim tantùm agit de adulterio, verùm etiam de homicidio, quatenus scilicet utrumque matrimonio contrahendo obstitit. Explicabo autem capitula non sigillatim, & ex ordine, sed permixtè in uno quâsi contextu, sicut & præcedente Tit. à me factum est. Ac prius de adulterio, postea de matrimonio differemus, & certis conclusionibus rem totam complectemur.

Prima conclusio est: Si vir superstite uxore sua aliam in uxorem duxerit (intellige de facto, cum nemo duas uxores simul habere possit, c. Gaudemus 8, inf. De divort.) vel se ducturum ei promiserit, & pollutio, id est, commixtio corporum antè vel post intervenerit, non potest vir post mortem prioris uxoris secundam retinere, vel de novo cum eadem contrahere matrimonium, per tex. in c. 3, 5, & ult. h. tit. Estque hoc impedimentum non solum matrimonii contrahendi, sed & contracti dirimendi inter adulteram vel adulteram propter enormitatem delicti, quod hac spe-

cie committitur, cum non tantum adulterium committatur, sed & votum captandæ mortis alterius conjugum iudicatur, quod utroque jure prohibitum est, *l. fin. C. De pactis, & c. 2, sup. De concess. prab.*

Quod tamen ita exaudiendum est, si uterque contrahentium sciverit priorem uxorem adhuc superstitem esse; secus, si secunda uxor ignoraverit. Quo casu in arbitrio ignorantis erit, mortua priore uxore, eundem virum in matrimonium reperere, atque ad eum cogere, ut in matrimonio consentiat, *c. 1, & c. Peniens 7, h. tit.* Nec enim secunda mulieri ignorantia sua, quæ bona fide egit, nocere debet, neque viro patrocinari fraudandi animus, *d. c. 1, & cap. Sedes 15, in fine sup. De rescript.* Sed & ignorans intelligendus est toto tempore prioris uxoris: nam si posteriori uxori scientia prioris, quod scilicet ea adhuc superstes sit, supervenerit, & copula cum eadem subsequuta fuerit, nihil tunc proderit ignorantia, utpote quod jam adultera facta sit, *d. cap. ult. hoc t. Panorm. ex Dd. sententia ad d. c. 1, num. 3, circa fin. eod.* Adulterium enim à sciente, non ab ignorante admittitur, cum dolus in eo requiratur, *l. penult. C. Ad L. Iuliam de adul. can. In lectum & ibi Glos. xxxiv q. 2.*

Eadem observanda sunt ex parte mulieris, ubi ipsa, marito suo superstite, alteri nubit, *per text. in can. Relatum xxxi q. 1, & can. Denique ead. qu. 1, si lectionem ibidem negativam sequamur, ut habet D. Augustinus, ex quo d. c. Denique desumptus est: nam pari ratione adulterium in utroque sexu condemnatur, can. ult. xxxii q. 5.*

Disputat Dd. An hoc idem impedimentum nascatur, si nondum uxor à marito suo cognita sit? Sunt qui existimant, ducti, ut videtur, hac ratione, quod nondum una caro facti sint per copulam, possitque alter eorum, invito altero, Religionem ingredi, & ita dissolvere matrimonium, *c. 2, c. Ex publico 7 sup. De convers. conjugat.* Sed horum sententia ab Innoc. & communi Dd. calculo explosa est, teste Præposito *in d. cap. ult.* Et ratio est, quod in adulterio sufficiat solam etiam fidem conjugalem violari, *d. cap. L. discretionem 6, De eo qui cognovit consang. uxoris. sua, Navar. in Manuali c. 22, num. 46, vers. alterum* † Imò licet prior uxor à viro suo separata esset, quoad torum vel cohabitationem. Navar. *jam d. loco, per text. in d. cap. Significasti & in c. Ex literarum h. tit.* cum nihilominus inter priores conjuges perseveret vinculum matrimonii, *can. 1, cum c. seq. xxxii. quest. 7, ac proinde adulterium cum altero tertio admitti*

dicitur, *d. c. Discretionem.* Aliud verò, si nullum subesset matrimonii vinculum, etiam si putaretur prior uxor, *c. 2, h. t. Navar. d. vers. alterum.* Non enim præstat impedimentum, quod de jure non fortitur effectum, *c. Non præstat De R. 1. lib. 6, †* Item diversum est in sponsa, cum qua nullum adhuc matrimonium, sed sponsalia tantum contracta sunt: nam cum sponsalia per subsequens cum alia matrimonium ipso jure tollantur, *c. Sicut 22, c. Si inter 31, sup. De sponsalib.* non potest dici adulterium cum secunda admitti: cum adulterium non nisi in nuptiam propriè committatur, *l. Inter liberas 6, §. 1, l. Stuprum 34, D. Ad leg. Iul. de adul. & l. Iner stuprum 101, D. De verb. signif.*

Sed fingamus, Titium, vivente Mævia uxore sua, aliud matrimonium promississe vel contraxisse cum Sempronia, nulla tamen interveniente copula, postea verò Mævia mortua, rursus aliam duxisse in uxorem, puta Seiam; quod jure facere potuit, cum secundum matrimonium cum Sempronia nullius momenti sit, propter impedimentum prioris matrimonii. Quo facto prius cognoscit Semproniam. Hic quæritur, an mortua Seia Titius possit contrahere matrimonium cum Sempronia? Eadem quæstio est de uxore eodem modo contrahente. Negant Joan. Andrea, Cardinalis, & Phil. Francus. *in d. c. ult. inf. h. t. prout eos citat ibid. Panorm. & additio ad eundem Panormis.* Qui tamen contrarium tenet, & quidem rectius; quia contrahendo cum Seia ultima uxore sua, censetur recessisse à contractu vel promissione facta Sempronia, & consequenter tantum modò adulterium admisit cum Sempronia, quod solum absque matrimonio vel sponsalibus sufficit ad impediendum matrimonium, *c. Significasti 6, h. t. & dicam latius in secunda & tertia conclusionem.* Vide quæ habet Præpositus *ad d. c. ult. num. 4.*

Secunda conclusio est. Si vir, vivente uxore sua, aliam in uxorem acceperit, aut data fide accepturum promiserit, nulla tamen cum hac secunda intercesserit copula; non prohibetur vitæ, priore uxore defuncta, cum secunda matrimonium contrahere, *per text. in d. cap. ult. h. tit.* Neque hoc casu distinguitur, uterque vel alter sciverit, aut ignoraverit priorem conjugem superstitem esse. Præpos. *ad rubr. h. tit.* Nam ad hoc impedimentum inducendum duo conjunctim requiruntur, adulterium scilicet & matrimonium de facto contractum, sive data fides de contrahendo, *per text. in d. cap. ult. & tradunt ibi Glos. ceterique Dd. respo. ibid. Hostien. num. 4, qui præterea duo alia requirit,*

quirit, videlicet quòd in priore matrimonio non subit canonicum impedimentum, & quòd in posteriori mala fides non interuenit. Sed de utroque jam antè differuimus in prima conclusione, quando diximus, in posteriore matrimonio requiri utriusque scientiam, quòd scilicet alter contrahentium habeat aliam uxorem superstitem, & sic mala fide cum secunda contraxerit, deinde quòd prius matrimonium verum & legitimum fuerit, nullo subsistente canonico impedimento.

7 Tertia Conclusio est, quæ tamen ex jam dictis deducitur: Si vir, superstiti uxore sua, aliam mulierem cognoverit, nullis tamen sponsalibus aut contractu matrimonii intercedente, non prohibetur idem vir post mortem uxoris suæ contrahere matrimonium cum ea secunda muliere, quam si cognovit, per tex. in c. Significasti 6, h. t. can. Denique xxx. q. 1.

Neque his obstat textus in can. 1. ead. quasi 1. ubi his verbis inquit Leo Papa: Nullus ducat in matrimonium, quam polluit per adulterium. Idem repetitur in can. Illud d. quasi 1. & in cap. 1. & cap. Cum haberet 5, h. t. quasi solum adulterium sufficiat, absque alio contractu, ad inducendum hoc impedimentum. Non inquam obstat. Nam his textibus non prohibetur præcisè adulter contrahere matrimonium cum adultera, defuncto marito adulteræ, sed ne id faciat ante peractam ab eo penitentiam adulterii à se admissi. Ita enim interpretatur Gratianus noster in d. can. Illud 5, hic subaudiendum, & confirmat textus in can. Si quis vivente xxxi. q. 1. Quare alienum est, quòd Dd. nostri dictionem, maxime, positam in d. cap. 1, h. t. exponant pro, tantum, quasi textus velit tantummodò eo casu matrimonium esse interdictum inter adulterum & adulteram, ubi simul & contractus matrimonii, vel data fides contrahendi matrimonii inter eos intercesserit. Quæ interpretatio etsi in se vera sit, non tamen convenit jam dictis textibus, præcipuè in d. c. Cum haberet. Unde magis puto ad hærendum esse Gratiani explicationi, jam antè dicto loco. Atque hæc de adulteriis.

8 De homicidio sit hæc conclusio: Si vir cum aliena muliere in mortem mariti sui conspiraverit, non potest eandem in uxorem ducere, probat. tex. in c. Laudabilem sup. De convers. in fidel. idque ad eò, licet adulterium non intercesserit, ex sententia Joan. Andr. quam & sequitur Panor. ad d. c. 1, num. 3, circa fin. h. t. per tex. in d. c. Laudabilem: hæc tamen adhibita distinctione, ut, si adulterium in-

teruenit, non requiratur necessaria utriusque conspiratio, sed sufficiat, vel alterum tantummodò machinatum fuisse mortem conjugii, c. 1, ibi, vel qua machinata est, c. 3, & 6, h. t. & probant. Joan. Andr. Panor. communiter receptus, teste Navarro in Man. c. 22, num. 46, confirmat & apertus textus in d. can. Si quis vivente xxxi. q. 1.

Debet tamen hæc conspiratio sive machinatio cum effectu accipi, ita quòd mors subsequuta fuerit, sicut tradunt Glossa, Panor. & communiter Dd. teste Præposito, refragantibus licet Innoc. & Hostiensi, ad d. c. 3, Erratio est, quia verba cum effectu accipienda sunt, per text. in l. 1, §. hæc autem verba D. Quod quisque juris. Præterquam ubi conatus pro effectu accipitur, ut quibusdam casibus à jure expressis, veluti in crimine læsæ majestatis, l. Quisquis C. Ad L. lul. majest. & in homicidio, l. 1, D. Ad L. Corn. de sicar. & nonnullis aliis, sicut videre est in Glossa, & apud Dd. ad d. §. hæc autem verba.

Deinde hæc conspiratio sive machinatio intelligi debet, si causa matrimonii contrahendi facta sit, non si in bello, aut ex odio, aut ex alia ratione, d. c. Laudabilem & c. 3, h. t. & ibi Gl. reliquique Dd. teste Præpos. ibidem.

Unde quæsitum est de hac facti specie: Titius uxorem habens, adulterium cum Mævia admittit, his verbis additis, quòd, si uxorem non haberet, vellet eam in uxorem ducere. Postea verò accidit, quòd Titius uxorem suam interfecerit, non quidem prospectu matrimonii contrahendi, sed ex alia causa. Hic, inquam, quæsitum est, an Titius eandem Mæviam in uxorem possit accipere? Negat Card. quem citat & tacitè sequitur Præpositus ad d. c. 3, hac ratione moti, quòd ubi adulterium intervenit, minimè attendatur, quo proposito machinatio mortis intentata sit. Et facit pro hac sententia textus in d. c. Significasti 6, h. t. quo permittitur matrimonium inter adulterum & adulteram, dummodò alter eorum mortem non sit machinatus conjugii suæ, vel fidem non dederit adulteræ de contrahendo inter se matrimonio. Ergò à contrario sensu, si machinatus sit mortem conjugii (ut hoc casu nostro) non poterit inter adulterum & adulteram legitime contrahi & consistere matrimonium.

Sed contra putat Gasparus Calderinus, quem citat eodem loco Præpositus, & quidem rectius, quòd scilicet inter eos legitime contrahi possit matrimonium, cum in hoc casu nulla fidei datio de matrimonio contrahendo intercesserit, neque

marrimonium inter eos de facto contractum sit. Alterum enim horum, ut marrimonium propter adulterium impediatur, necesse est interveniat, *e. fin h 2.* propter homicidium verò, ut, marrimonii contrahendi causà cum alio, mors illata sit conjugum, ut antè diximus *e. c. Laudabilem sup. De convers infidel.*

12. Cæterum contra hoc impedimentum obiicitur nobis exemplum Davidis, qui Bersabeam uxorem Uriæ à se priùs adulteratam, deinde, occiso à se Vria, Bersabeam in uxorem duxit, sicut tradit sacra historia, 2. *Reg cap 11.* Sed respondetur, hoc impedimentum non extitisse tempore veteris Testamenti, quo hic casus accidit, sed ab Ecclesia sub lege Christianà introductum esse. Nam & pleraque alia permittebantur in veteri Testamento, quæ hodie per novam legem abrogata sunt, ut sunt libellus repudii, polygamia: item quòd quis potuerit uxorem fratris sui sine liberis discedentis ducere, *Deuter. 25, cap.* aliaque ejusdem generis.

Ad extremum singulariter notandum *ex d. c. Cum haberet 5, h. 2.* liberos ex damnato concubitu natos, esse alendos à parentibus suis, contra juris Civilis rigorem, in *Aurb Ex complexu C. De incestis & inutilibus nupt.* quæ prohibentur tales filii alià patre.

Sed hinc quæstionis est, An in terris Imperii standum sit huic juri Canonico, an potius Civi-

li? Dubitationem movere, quòd ubi jus Canonicum à jure Civili dissidet, utrumque in suo foro servandum sit, Panorm. *ad c. 1, num. 7, inf. De operis novi nuntiat. & ad c. Ecclesia S. Maria nu. 14, sup. De consit.* Siquidem inter se distinctæ sunt jurisdictionis Ecclesiastica & civilis, neque altera alteram impedit, *e. Novit. 13, sup. De judic. & can. Duo sunt dist. 69.*

In hacigitur quæstione Joan. ab Imola existimat juri Civili standum esse. Et contra And. Gail. ex communi Dd sententia, *lib 2, Observ. 88,* quo loco dicit, in utroque foro servandum esse jus Canonicum, maxime si aliunde non habent liberi unde vivant. Et ratio est, quòd sicut patri permillum non est occidere filium spurium, ita nec alimenta ei denegare, quia ea denegans necare videtur, *l. Necare D. De liberis agnosc.* Nam & suadet æquitas, ut ii, quos parentes in lucem produxerunt, ab iisdem quoque alimententur, jure quodam naturali, *l. 1, circa fin. D. De just & iure,* ne frustra in lucem editi videantur; cum & D. Augustino teste, semen ex quocumque homine profectum, Dei creatura sit, *can. Undecumque 56, dist. 1.* ita quòd rectè dixerit Baldus, *consil. 4. 6, num. 10, vol. 5;* jus civile in tantum amasse castitatem, ut destruerit paternam pietatem. Quare & hanc posteriorem sententiam secutam esse Camera Imperialem tradit And. Gail. *loco cit. num. 12.*

IN TIT. VIII. DE CONIVGIO LEPROSORVM.

SUMMARI A.

1. Marrimonium à leprosis rectè contrahi.
2. Lepra superveniens an marrimonium dissolvat.
3. Marrimonium ignoranter cum leprosis contractum an teneat?
4. An conjuges post lepram supervenientem obligentur ad debitum & obsequia conjugalia.
5. Vxor an teneatur sequi maritum peregrinantem?

Hic Titulus tribus capitulis constat, quæ & uno contextu explicabo.

1. Et imprimis certi juris est, à leprosis contrahi posse marrimonium, *c. 2. vers. leprosi h 2.* cum nullo jure prohibeantur. At in marrimoniis pro regula est, omnes posse marrimonium contrahere, quibus non est à jure interdictum, *e. Cum apud sedem 23, sup. De sponsal.*

2. Sed quid si constante marrimonio, utriusque vel alteri conjugum lepra supervenerit? Non ideo ta-

men dissolvitur marrimonium, neque ob id separari possunt, *c. 1, & 2, h. tu.* ubi & duplex ejus ratio redditur Prior est, quòd cum una caro facti sint, sine altero alter esse non debeat. Altera, quòd nemini licitum sit relinquere conjugem suam, exceptà fornicationis causà, ut & ipse Christus apud Matth. *c. 19,* docet. Quare idem reinetur & in furore, & in aliis morbis, qui post contractum marrimonium accidunt, *can. Hi qui sacramentum cum duob. seqq. xxxii. q. 7* adeò licet marrimonium carnis copulà nondum sit consummatum. Non enim ideo magis propter lepram supervenientem dirimitur marrimonium, *per text. in c. Quomodo admodum 3, sup. De iurejur.* Panorm. & Præpos. *ex communi Dd sententia ad c. ult. h. 2.* Et ratio est indissolubile vinculum marrimonii, quod vel solo consensu contrahitur, sicut constat ex definitione marrimonii, *tit. Instit. De patr. potest. in pr. junct. Nupt. D. De R. l.* vide quæ latius dicà inf. 2. *De divor.*

Noa